

Christian Arnd David Matthaëus Schütze

## **Discursus Politicus De Principiis Constituentibus Et Conservantibus Rem Publicam**

Rostochii: Kilius, 1651

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730156931>

Druck Freier  Zugang



R 16 phil 1657

Christianus Arnd, Po.

David Math. Schütz, Aug.





DISCURSUS POLITICUS  
De  
PRINCIPIIS CON-  
STITUENTIBUS ET  
CONSERVANTIBUS  
REPUBLICAM,

*Quem*

BONO DEO

SUB PRÆSIDIO

VIRI CLARISSIMI ET EXCEL-  
LENTISSIMI

Dn. M. CHRISTIANI ARNDII

Professoris hujus Acad. celeberrimi, Dn.  
Præceptoris ac favoris sui ætatem  
honorandi.

*Publica disquisitioni exponit*

DAVID MATTHÆUS Schütze/  
Gustrovia-Mechlenb.

A.

*In Auditorio majore ad 8. Novembr.*


—(o)—



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

Anno 1651.



*Magnifico, Nobilissimo ac Consultissimo*  
V I R O

**Dn. JOHANNI COTHMANNO,**

ICTo Celeberrimo, Sacri Lateranensis  
Palatij, Aulæq; Cæsareæ, & Imperialis Confi-  
storij Comiti, Illustris: Duc: Mechlenb: Can-  
cellario gravissimo, hæreditario in Hingens-  
hagen/

ET

*Magnifico, Generoso ac maximè strenuo*  
V I R O

**Dn. FRIDERICO de HOBEN,**

Illustris: Ducis Mechlenb: Consiliario  
intimo, Capitaneo in Dargun meritiss. hæredi-  
tario in Bœstland / & Wardow/

*Dominis, Patronis, ac Promotoribus suis Magnis, in  
debitam officij notam, exiguum hoc exerciti-  
um, sacrum nuncupat*

David Matthæus Schütze.



Quod Deus benè vertat -



Perpetua in omnibus rebus humanis naturæ lex est, quam præscribit Seneca :

*Res Deus nostras celeri rotatas  
Turbine versat.*

Omnes enim res pro temporum vicissitudine nascuntur & denascuntur, crescunt & decrescunt, & ita quicquid ortum & initium cepit, velocius cursu ad exitiura & interitum properat; Quicquid enim habet principium illud omne etiam finem sortitur, ita ut nihil quicquam in humanis perpetuò vigeat. Et idem naturæ ordo etiam in omnibus Principatibus & Rebus publicis observatur, ut semper unumquoq; Imperium ubi ad summum perductum cernimus, velocius ferè ad infimum relabatur, *Senec. l. 1. contr. c. 1.* Itaq; continuò unius corruptio & everfio, alterius est generatio, & productio. Omnes enim maximarum Rerumpublicarum formas, quæ à condito mundo extitère, si intueamur nil nisi luculenta infelicissimæ humanæ sortis inconstantix theatra conspiciamus, *Renat. de Lyfing. d. increm. Conser. & occ. rerump. l. 3. c. 1.* Et ut in præsentiarum taceam innumerabiles Rerumpublicarum formas, quas recensere propositum verat, exemplo esse possunt quatuor totius terrarum Orbis per oraculum Daniel. *c. 2. 7. & 8.* prædicta imperia; nempe Assyriorum, Persarum, Græcorum ac Romanorum, quorum fatalem cursum, ni annales temporum extarent, vix liceret recensere, cum ut eorundem florentissima potestas evanuit, ita memoriam hominis ferè excessit. Quam tantundem hodiernum rudera magis, quam florentissimi Imperii dignitatem veneramur. Illud enim etiam antè nostra tempora in summo eminentiæ gradu fuisse negare non possumus, *Clut: in syll. rer. conclus. l. Reink. d. R. S. & E. l. 1. c. 2. c. 7. n. 8. Schönb. l. 5. Pol. c. 4.* Ita infallibili naturæ documento animadvertimus, Respublicas quoq; communem naturæ sortem subjisse; Quod & indices videmus:

*De Re-  
rump. & vicissitudinis  
bus,*

Alias intestinis motibus labefactatas; Alias extrinseco impetu per-  
cussas; Alias senectute defatigatas; Alias occulto veneno ante se-  
nectutis maturitatem cadere, Hippol. a Collib. *de Princ. c. ult.*  
Et hoc ex rerum creaturarum generali ratione, nam fieri vix potest, ut  
& optimè constituta Respublica semper maneat & duret, cum  
omnia facta ac creata intereant, Melch. Jun. *quæst. polit. 5.* Cum  
autè harum mutatiõnũ atq; ad eò generandarũ, corrupendarũ ac  
conservandarũ Rerum publicarũ certas esse causas oporteat, genera-  
les earundem disquisitiones publicè proponam; Non enim fato, sed  
potius administrandi perversitate mutatio hæc accidit, ut egregie  
differit, Franc. Patric. *d. Regim. & Reg. Instit. l. 1. t. 12.*

Fato non  
corruunt  
Respb.

### Thesis I.

Quia Homo naturã est animal politicum *Arist. l. 1. polit. c. 2. & l. 1.*

Homo est  
Naturã  
animal po-  
liticum.

*Eth. c. 7.* non tanquam bestia silvas, montium cacumina, & remo-  
tissimorum locorum antra occupat, sed illam naturam quæ nobis  
cum belluis communis est, *Salust. in Catilin.* planè spernit & po-  
tius ductum ac dictamen rectæ rationis sequitur, ut tanquam ani-  
mal sociabile non ferarum instar, sed velut rationis particeps in-  
liberrate & societate humana quasi in summã Civili felicitate vi-  
vere possit, cum ipsa natura quandam cognationem inter homi-  
nes constituat *l. 3. ff. d. J. & J.* Nam qui extra Civitatem vivit, fe-  
rum & improbissimum animal est, quare Homo præ omnibus ani-  
mantibus, dum rationis ductum sequitur, vitam solitariam odit, &  
sociabilem appetit, cum hominem homini natura conciliat, & ut  
solitudo in odio est, ita appetitio Societatis in dulcedine, *Senec.*  
*Ep. 9.* Ethac ratione Homines sponte, partim experimento infir-  
mitatis adducti, partim ratione duce in societatem Civilem coe-  
runt, *Hug. Grot. d. J. Pacis & B. l. 1. c. 4. n. 7.* Talis autem Socie-  
tas, quæ utilitate & necessitate exigente inter homines conflata  
est, sine certo ac legitimo ordine, propter ingeniorum varietatem  
per se nullo modo firmæ esse potest, *Lips. l. 2. P. c. 1.* Primum itaq;  
propter talem Societatis amorem ortæ sunt Civitates, in quibus ho-  
mines mutuis auxiliis adjuti, benè ac tutè vivere possent. Et cum  
ortus hominum, quosdam ad serviendum & quosdam ad imperan-  
dum compulit, *Arist. l. 1. P. c. 4, 5, 6. & l. 7. c. 14.* Inde etiam natura  
quasi

Cause im-  
pulsivæ Res-  
rumpb.

quasi sociorum ordo inducitur, nempe Majestas imperantium & obedientia parentium, ut hæc ratione boni homines promoveantur & mali contra coerceantur, *Lampad. de Rep. Rom. Germ. p. 1. §. 3. 4. 5.* Nam à Dei & naturæ ordinatione in maximam humani generis tutelam, tale Societatis regimen constitutum est, hinc omnis potestas dicitur à Deo, *1. Pet. 2.* & per me inquit SAPIENTIA Reges regnant & Principes dominantur, *Proverb. 8. v. 15.* Et Justinianus Imperator, ut Juris religiosissimus, ita devotus Hostibus triumphator magnificus, à cælesti Majestate sibi imperium traditum esse, fatetur *l. 1. C. d. V. J. E. l. 1. C. d. Off. P. P. Novell. 6. pr. cujus effectum & alii Imperatores laudatissimæ recordationis sunt secuti, Rec. Imp. de Anno 1495. 1648. 1530.* Unde propriè illud natum videtur, quod Germanico Principum idiomate laudabiliter obtinuit, *Wir von Gottes Gnaden.*

### Thesis II.

Ex mutuâ hac imperantium & parentium obligatione oritur Republica, *Reink. d. Reg. S. & E. l. 1. cl. 1. c. 1. Schonb. polit. c. 4. c. 1. quæ est: Ordo civitatis in imperantium ac parentium jure.* Et quamvis in omni Republica potius respicitur utilitas subditorum quam imperantium, *Ferdin. Vasq. Ill. Contr. l. 1. in præfat. n. 102. & c. 1. n. 10. Hippol. à Collib. in Princ. c. 1.* Tamen potestas imperandi, quæ ex hoc ordine oritur imperium aliquod denotat summum ac legitimum in personas subjectas, *l. 2. ff. de In jus voc. l. 215. d. V. S. Matth. Steph. d. Jurisd. l. 1. c. 6. n. 5. & tale Imperium Clapm. d. Arc. Rerum publ. l. 1. c. 10. ex Tacito & Justino ARBITRIUM vocat; Ab illis autem penes quos summum illud imperium aut imperandi arbitrium residet, præcipua Rerum publicarum diversitas nascitur, quæ communiter triplex est, *Lips. l. 2. Pol. c. 2. Norderm. de Jur. Princ. §. 5.* Nam aut penes unum hujusmodi potestas est, aut penes paucos, aut penes multos *Arist. l. 3. polit. c. 7.* Et si regimen sit penes unum, exinde producitur Status Monarchicus, quem *Arist. pol. l. 4. c. 2.* vocat divinum, eum nempe unus in publicâ utilitatem suas dirigit actiones, *Hipp. à Coll. in Princ. c. 1.* cui statui cum sit simplicissimus & antiquissimus, cui primæ*

Definitio  
Reipubl.

Diviso  
Reipub.

Forma Mo-  
narchica.



*Monar-* Gentes paruerunt *Justin. l. 1. pr.* meritò prærogativam puto adjudicandam, Barcla. in *Argen. p. m. no. l. 1.* Arist. *l. 8. Eth. c. 12.*  
*chia optii* Reink. *d. l. Lips. l. 2. Pol. c. 2.* Ut autem imperium sit Monarchicum, & is qui imperat Monarcha, necesse est, ut sit unus, qui omnium rerum summam habeat Majestatem; Nam quoties requisita summi Imperii sunt divisa, toties inegram potestatem apud unum residere, est planè impossibile, & per consequentiam Status Monarchicus non nisi per abusum vocis talis dicitur, & is Princeps cui jura Majestatis sunt adempta dicitur potius Princeps Nominis, quam Re, ut notat H. Grot. *d. Jure P. & B. l. 1. c. 3. n. 8.* Qui ergò dicit Principem & eidem detrahit absolutam potestatem, is sibi contradicit in adjecto, Bernh, Suthold. *d. Jurisd. & mer. Imp. th. 28.* Nam rerum mortalium natura ex operationibus cognoscitur H. Grot. *d. Cap. n. n.* Cum jura summi Imperii quæ ab Arnaldo Clapm. *d. l.* sacra Regni & sacra sacrorum vocantur, non magis à Majestate separari possunt, quam radii solis à sole, & calor ab igne Paurmeist. *d. Juris d. l. 1. c. 2. num. 1.* Petrus Syring, *differ. d. Pace Rel. th. 14.*

*Princeps*  
*nomine*  
*quis,*

### Thef. III.

*Forma Aristocrat.*

Cum autem plures quam unus clavum imperij moderantur oritur exinde secunda forma Reipublicæ rectæ, quæ dicitur ARISTOCRATIA, ideo quod *ἀριστοκρατία*, i. e. optimi seu nobiles imperant & utilitatem publicam quærunt. Et in hoc Regnum ab Aristocratia differt, ut quemadmodum in illo unus, ita in hac plures Regimini præfunt, qui non quidem singuli, sed indivisim. & ita copulativè Majestatem repræsentare videntur. Horum autem numerus qui nempe, Imperium Aristocraticum moderantur certus definiti nequit, cum diversitas locorum & longa consuetudo hic ordinem ac numerum constituat, modo tamen hic numerus non sit nimium amplus, aut etiam omnis sortis Homines admittantur, quâ ratione facile Aristocratia in Democratiam degenerâret. Si tamen interdum Plebei quidam ad deliberationem vocentur, non immutant statum Aristocraticum: modo Patricii vel Nobiles quibus summâ Potestas competit definitiendi facultatem retineant.

Clapm.

Clapm. d. Arcan. Rerump. l. 6. c. 15. Quod autem dixi de Patriciis aut Nobilibus non hoc innuere volo, quasi sola debeat Nobilitatis haberi ratio, sed tunc demum, si eam prudentia ac propria Virtus colimitur, cum animus faciat Nobilem, qui cum omnibus sit communis, omnibus etiam ex quacumque conditione secundum ejusdem vigorem supra innatam sortem licet assurgere, Senec. l. 5. Ep. 44. Nam natura una & communis omnium est, sed fortissimus quisque est generosissimus, & digniori semper prerogativa tribuenda, ut eleganter disserit Salust. in Jugurth. p. m. 113. Nee non ex deformi & humili corpusculo formosus & magnus animus exire potest, Senec. Ep. 67. pr. Cum generosissimarum imaginum fetus saepe acceptam à majoribus lucem in tenebras convertant, Valer. Max. l. 3. c. 4. Et August. Rom. Imp. nunquam filios suos Populo Romano commendavit quin adjiceret: SI MERE BUNTUR, Suet. in Aug. Quare etiam Turcarum & Persarum imperia ad summum crevere fastigium, cum ibi Principes Reipublicae munia non distribuunt, secundum cujusque ortum, sed potissimum secundum merita & indolem. Olear. in itin. Pers. Renat. de Lyfing, de Incre. Conserv. & occas. Imp. l. 2. c. 6. Hippol. à coll. in Nobil.

#### Thesis I V.

Si autem universi, aut major Populi pars imperet, ita ut omnes singulis imperent aut singuli omnibus obtemperent, vel etiam quidam ex omnibus imperent, & iisdem singuli obtemperent, inde oritur Status DEMOCRATICUS, qui tertiam constituit Reipublicae formam Reink. de Reg. s. & E. l. 1. cl. 1. c. 1. num. 14. dum nempe summa Majestas penes omnes vel indivisim, vel penes quosdam ex omnibus residet, & hi imperantes sunt bonum commune spectantes; Quatenus autem seorsim considerantur, ut singuli eatenus sunt subditi, & in hoc sita est aequalitas Democratica, Imperandi nempe & parendi, ut non major Nobilium, quam Plebejorum sit potestas & simul aequaliter ad imperium admittantur, Arist. l. 4. pol. c. 4. & ibi Piccartus. Hujus imperii ratio est communis natura, qua idem jus nobis deberi arbitramur, quare Reipublicae Democraticae ferè omni genere videntur esse florentiores, quam quavis

*Requisita* quævis alia *Requisita* 2. status Democratici describitur *Prætorius* in  
*democrat* *Theat. Pol. p. m. 198.* Et (1.) Ut Magistratus à Populo constituatur  
 182. & quidem ab omnibus & ex omnibus, ita tamen ne magna imperia  
 sint diuturna (2.) ut in causis gravioribus à Magistratu ad iudicium  
 Populi appelletur (3.) Ut leges à senatu proponantur, à Populo vero  
*Forma* jubeantur (4.) Ut ipse Magistratus à Populo accusari & condemna-  
*mixta* ri possit. Et hæ sunt tres simplices Rerum publicarum formæ, nec  
*Nulla.* plures statuendas putamus cum D. Dietero in *Disput. de Sum.*  
*Imp. potest. th. 5.* Et licet interdum hæ formæ misceantur, ut modo  
 remittantur, modo intendantur, attamen semper ab illâ parte quæ  
 præponderat fit denominatio *Lipsf. l. 2. pol. c. 2. Schonb. l. 5. pol.*  
*Formæ cor.* c. 6. Quod autem Aristotel. *l. 8. Eth. cap. 12. & l. 4. pol. cap. 2.*  
*rupta quæ.* Sex Rerum publicarum species esse docet, illud fit propter species  
 corruptas, quas simul recenset, ut ex oppositione contrariorum ve-  
 ritas elucescat; illæ autem Respublicæ non magis dici possunt  
 Respublicæ, quam Virgines defloratæ Virgines dicuntur, quippe  
 cum justum imperandi ac parendi ordinem respuant.

### Thesis V.

Ita Causas Rerum publicarum Principales quæ generaliter lo-  
 quendo non ex hominum improbitate & malitiâ, sed Dei & naturæ  
*Causa Res* ordinatione proveniunt, proposui. Sequuntur jam Causæ In-  
*sumpt. In* strumentales, quibus summa Imperia conferuntur & acqui-  
*strumenta* runtur quarum tres Politicorum præcipuas obiter insuebor, nem-  
*les.* pe; Occupationem, Electionem & Successionem.  
*Occupatio,* 1. Occupatio uti plerumq; & maximè fit per bellum ita acqui-  
 rendi domini modus est, & antiquissimus & firmissimus, ubi Victi  
 Victoris leges observare, & ejusdem decreta subire coguntur, ut do-  
 cet, *H. Grot. l. 1 c. 3. n. 12.* Quæ enim justo ac legitimo bello acqui-  
 rantur, statim fiunt jure Gentium Occupantium. *§. 17. Instit. d.*  
*R. D. l. 51. d. Acquir. R. D. Num. c. 21. v. 44. & seqq. Genes. c. 14. v. 16. &*  
*seqq.* 2. Electio dum nempe Populus Magistratum superiorem  
*Electio,* eligit in quem omnem Majestatem confert & quidem abdicativè  
 non cumulativè, ita ut Populus nullam planè Majestatem retineat,  
 & ita quæ ab initio fuerunt Voluntaris, ab effectu fiunt Necessitatis  
 quo referuntur Heroica Valentiniiani Imperatoris verba, quæ re-  
 censet.

cenſet H. Grot. 7. 1. de J. P. & B. c. 3. num. 8. Ut me ad imperan-  
 dum vobis eligeretis, in veſtra ſitum erat poteſtate à Militibus, poſtquam  
 me elegiſtis, quod petitis in meo eſt arbitrio, non veſtro, vobis tanquam  
 ſubditis comperit parere, mihi quæ facienda ſunt cogitare. Et eandem  
 ſummam poteſtatem P. R. in Imperatorem Auguſtum abdicativè  
 contulit Lege Regiâ, dum illum per Valerium Meſſallam, mandan-  
 tibus omnibus Patrem Patriæ ſalutavit, cujus meminit *Lex Regia.*  
 Sveton. in Aug. p. m. 118. & §. 6. Inſtit. d. J. N. G. & C. l. 1. de  
 Conſt. Princ. l. 2. §. 11. de O. J. l. 1. §. 7. Cod. de V. J. E. Do-  
 min. Arum. Exercit. Juſt. 1. th. 18. Electionis etiam vi-  
 detur eſſe ſpecies, dum quidam virtute ac genere pares, ſimul Ma-  
 giſtratum ambiunt, & Populi conſenſu, ut omnis contemptus *Sortilegis*  
 ſuſpicio præcludatur, Sorti electionem committunt, ut ita Fortu-  
 na omnem ſiniſtram ſuſpicionem dirimat. Et quemadmodum tale  
 ſortilegium retrò à multis Gentibus eſt obſervatum, & indies ob-  
 ſervatur, ita nec à ſacris literis, nec à Jure Civili abhorretur;  
 ubi ſæpe ad ſortem decurrendum cum alia media deficiunt, Num.  
 26. v. 56. c. 33. v. 54. c. 34. v. 2. 13. c. 36. v. 2. Deuter. 1. v. 38. l. 5. ff. Fam.  
 Erciſ. l. 3. C. Com. d. leg. Harpr. ad §. 23. Inſt. de Leg. n. 12. &  
 ſeqq. Et quoties ita Electione i. e. Populi Voluntate imperium  
 deferretur, nihil aliud præſumitur à Populo translatum eſſe quam  
 quod ſibi ipſi videtur eſſe utile, quodq; veriſimiliter expreſſè con-  
 ceſſiſſet H. Grot. d. loco num. 13. Ferdin. Vaſq. Illuſt. Quæſt.  
 part. 1. l. 1. c. 45. num. 5. Non enim vitam famam, & fortunas vo-  
 luntario conceſſiſſe veriſimile eſt, Hippol. à Coll. in Princ. c. 1.

### Thesis VI.

3. SUCCESSIONE quæ eſt imperii Veteris *Successio.*  
 continuatio, arg. §. 3. Inſt. de Hæred. quæ ab Inſt. deſer.  
 quatenus nempe morte Parentis vel alterutrius, cujus legitima ſuc-  
 ceſſio ſperatur, dominium quaſi in Hæredes continuatur: Hic mo-  
 dus tamen non videtur eſſe novus acquiſiti Imperii titulus, cum  
 novam Imperio formam non assignet, attamen quia propter mor-  
 tem deſuncti Regimen ad alium per volvitur & novum Magiſtra-  
 tum admittit, rectè etiam eatenus cauſa imperii Inſtrumentalis  
 eſſe dicitur, cum & occupationi & Electioni rectè contrâ diſtin-  
 guatur

guatur & quoniam ut in Occupatione & Electione hic novus Magistratus Rempublicam moderatur eatenus quoq; certò hic est nova novi imperii acquisitio. Successio autem hæc principaliter dicitur fieri in ordine descendenti, & ita primo ad liberos refertur, cum eos & naturalis ratio & commune Parentum votum ad bona Paterna vocet *l. 7. ff. de Bon. damnat.* Ne autem si plures sint filii quos non quidem ortus, sed natura fecit æquales simul succedant, optima ratione locorum consuetudine introductum est, quo minus Regni dignitas dum in partes dividitur vilescat, ut Primogenitus (ni natura sit demens *Borch. de Feud. c. 7. n. 63.*) in successione Regali reliquis omnibus modo tamen illis necessaria alimenta assignentur, præferatur, quod etiam constitutum reperimus à *Fred. Imp. 2. Feud. 55. §. 1. Præterea Ducatus*, qui propter conservationem splendoris Familiarum prohibuit Feuda Regalia dividi. Quare ut hæc consideratione primogenitus reliquis Fratribus in regni successione præferatur, illud, nec rectè rationi *Arist. l. 7. pol. c. 14. nec juri divino contrariatur*, quippe cum lex naturalis & divina & ubiq; ferè locorum, Gentium consuetudo illud approbet, cum excelsæ ac splendidæ Gentis columnen propter æquæ partitionem facile discerperetur *Genes. 27. v. 29. Deuter. 21. v. 17. Harpr. part. 3. Instit. p. 49. Ernest. Cothm. Consil. 1. num. 202. & 284. Vol. 5. Hunn. l. 3. var. resol. tr. 1. Qu. 22.* Et hoc jus Primogenito statim, dū hæc lucis usura fruitur inhæret, adeo ut per ultimam dispositionem veleriam contractum à Patre eidem auferri nequeat, cum id jure singulari, non autem communi consequatur, *Knich. de Sax. Jure non prov. Voc. Elect. c. 3. n. 13.*

### Thesis VII.

Hæc de causis Rempublicam constituentibus dicendum fuit, deinceps videbimus illas præcipuè causas, quæ non quidem constituunt Rempublicam, sed constitutæ Reipublicæ molem tanquam fulcra sustinent ac conservant. Cum autem in omni Republicâ duplex gubernandi tempus spectatur, Pacis nempe & belli *Arist. l. 7. Eth. c. 14.* duplex etiam conservandi remedium adhiberi debet, nempe: ARMA & LEGES; quod utrumq; magnifica Imperatoris Justiniani verba in principio *Proemii Instit.* designant: *Imperatoriæ*

*Primogenitus præferatur in successione.*

*Causa Rempublicæ conservandæ.*

*Arma & Leges.*

toriam Majestatem non solum armis decoratam, sed & legibus oportet  
 esse armatam, ut utrumq; tempus belli & pacis rectè possit gubernari, un-  
 de duplex jam dictum fundamentum promanat, nam ex Legum  
 & armorum usu incrementa, ac decrementa Rerum publicarum  
 oriuntur, inde Justinianus Imperator in *Constit. de Justin.*  
*Cod. confirmando pr. calamo digna verba proponit: Summa Reipu-*  
*blica tuitio, de duarum rerum stirpe, Armorum scilicet atq; Legum ve-*  
*niens, vimq; suam exinde muniens, felix Romanorum genus omnibus an-*  
*teponi Nationibus, omnibusq; Gentibus dominari, tam præteritis effecit*  
*temporibus, quam Deo propitio in æternum efficiet. Istorum enim alte-*  
*rum alterius auxilio semper eguit, & tam militaris res legibus in-*  
*tuto collocata est, quam ipsæ leges armorum præsidio servatæ sunt.*  
 Tanta enim in omni Republica est legum & armorum cognatio, ut  
 alterum alterius auxilio destitutum semper in cassum abeat; Tam  
 amicè inter se conspirant, ut quicquid armis acquiritur, legibus  
 conservatur, & quicquid leges præcipiunt arma exequuntur. Quare  
 etiam Veteres Justitiam gladio armatam depinxerunt, nam execu-  
 tio Legum sine armis non expeditur, & hanc rationem eleganter  
 persequitur Justin. *Nov. 26. c. 1. in fin. Omnibus perspicuum est,*  
*quod militaris quidem res, si sola & per se consistat, ultra quàm decet*  
*effertur audacia; Civilis vero nisi administrum habeat militum robur*  
*infra mediocritatem auctoritate careat. Utrumq; vero si idem cum*  
 altero concurrat, omnium absolutissimum ac perfectissimum sit,  
 quodq; tam ad gerendum bellum, quam ad tuendam pacem  
 sufficiat.

Armorum  
 & Legum  
 convenientia.

### Thesis VIII.

Armis autem Magistratus non tantum adversus Hostes  
 regnum infestantes uti debet, sed etiam adversus proprios Cives im-  
 perium detrectantes, ut hac ratione non tantum in Hostilibus præ-  
 liis possit existere Victor, sed etiam Calumniantium i. e. delinquentium  
 iniquitates expellere: Maximus tamen ac præcipuus armorum  
 usus non tam tempore Pacis quam tempore belli spectatur; Maxime  
 enim opus est Republicæ militibus, tam libertatis conservandæ  
 quam servitutis depellendæ causa, *Piccartus l. 4. pol. Arist. c. 4*  
 Per bellum autem illud demum intelligimus, quod justum atque  
 legitimum

Usus Ars  
 morum.

*Bellum  
quid.*

*Bellum Lis  
cicum jure  
naturali.*

*Jure divi  
no.*

legitimum est quodq; ulciscitur injurias. Et hoc definitimus cum,  
H. Grotio *d. jure P. & B. l. 1. c. 1. num. 2.* Quod sit status per  
Vim certantium qua tales sunt; Et talia bella, jus natu-  
rale, Divinum atque Civile permittit, ut armata manu, si  
salva Societas Civilis aliàs esse nequeat, eadem ab Hostium insulti-  
bus defendatur, & ita vis iniqua vi æqua repellatur, ducente ita na-  
turâ, quo optima respiciunt verba Ciceronis pro Milone:  
*Hoc & ratio Doctis, & mos Gentibus & feris natura ipsa præscripsit, ut  
omnem semper vim, omnem impetum, quâcumq; ope possint, à corpore  
& à capite & à vitâ propulsarent.* quod multo magis inter Homines  
observatur, inter quos cognationem quandam natura ipsa consti-  
tuit, quare nefas, hominem homini insidiari *l. 3. ff. d. J. & Jure,*  
adeoq; bella si urgente Necessitate suscipiantur, manifestam æquita-  
tem habent, cum & cætera omnia animalia istius juris peritiâ censeri  
videmus, dum umbram Juris imitantes omnem vim sedulo pro-  
pulsant. Nec de divino Jure cum Ahabapristarum sectâ quam  
sequitur Tertull. & Lactant. dubitandum, modo quis Codicem sa-  
crum pervolvens Dei præcepta attenderit, quippe qui politicam  
potestatem non tollit, sed magis statuit ac firmat, Unde Deus non  
tantum ipse bella præcepit *Exod. 17. v. 14. Jos. 8. v. 2.* Sed & aciem in-  
stroxit, *Deut. 20.* Unde dicitur Deus fortis *Psal. 24.* & verus miles  
*Exod. 15. v. 3.* ut illud acutissime probat H. Grot. *l. 1. de Jure P. &  
B. c. 2. per totum. Reinh. Kon. disp. pol. 13. th. 34.* De Jure  
Civili præter T. T. *de Re mil.* varia hinc inde in legibus reperi-  
mus militum privilegia, imò in perpetuum per gloriam vivere in-  
telliguntur, hi, qui pro Republicâ ceciderunt *pr. Inst. d. Excus. tut.*

### Thesis IX.

*Bellum non  
facile sus-  
cipiatur.*

Interim tamen non temerè aut sine maximâ necessitate bellum  
suscipiendum est, quod absit ut licitum defendam, cum rarissimè  
aut ferè nunquam rerum mortalium eventus tam dubiè respon-  
deat, quam in bello, ut loquitur Hannibal. Nam si ulla Civilis  
actio, quæ Reipublicæ interesse quærit cautè suscipienda, maximâ  
cum Consultatione bella ineunda sunt, in quibus *omnia prius expe-  
riri quam armis decet sapientem, dicente Comico.* Et non tam sem-  
per legitima bellandi Causa spectanda, sed prudenter insuper pon-  
deran-

derandum, quid nostræ, quid hostium vires valeant, quales milites  
 & qualia Veſtigalia ſint aut requirantur, quare prius potius verbis  
 quam armis decertandum **Cic.** *l. 1. off. duo dicit eſſe decertandi ge-*  
*nera, Unum per diſceptationem, alterum per vim, cumq; illud proprium*  
*ſit hominis, hoc belluarum, conſugiendum eſt ad poſterius, ſi uti non*  
*licet ſuperiore.* Nam omne bellum quidem facile ſuſcipitur, admo-  
 dum graviter autem ruruſus deponitur, quia nihil tutò in Hoſte de-  
 ſperitur: Nam Leo etiam interdum minimorum animalium ſit pa-  
 bulum, ferrum rubigo conſumit, & nihil tam firmum eſt, cui non ſit  
 periculum, etiam ab invalido, quemadmodum apud **Curt.** *Scy-*  
*tharum Legati alloquuntur Alexandrum M.* Et quamvis ſæpè bellum  
 ſit juſtum tamen etiam pax iniqua bello præferenda, nam etiam ſi  
 quis Victor exiſtat, attamen Civium opes exhaurit, luſtu funeſtas  
 domus implet, & omnia ferè loca periculofa relinquit **Andr.**  
*Pax iniqua bello præferenda.*  
**Gail.** *d. P. P. c. 4. n. 43.*

### Th. X.

Ne autem longâ Conſultatione & quaſi ignaviâ oportunitas  
 manifeſtæ prædæ Hoſtes ad injuriam avidiores efficiat, utiq; potius  
 bello legitimo injuria & imminens periculum propulſandum eſt,  
 ne illud contingat quod olim Romanis eſt exprobratum, dum Ro-  
 mæ conſultatur Saguntum expugnatur. Ergò nec  
 diu de bello conſultandum, ubi periculum eſt in mora; Nec beſtiali  
 impetu arma arripienda, ubi feſtinandum lentè. Bellum autem Ne-  
 ceſſarium, ut ſit legitimum, ad hoc præcipuè requiritur,  
 Cauſa Efficiens & Impulſiva; *Illæ eſt ut à legitima Perſona*  
 non privata ſed Publica ſuſcipiatur: Quia autem tres conſtitui  
 Reipublicarum formas; In ſtatu Monarchico requiritur  
 Autoritas non omnium, ſed Principis; In ſtatu Aristocratico  
 Optimatum; Et in ſtatu Democratico Autoritas Populi.  
 Nam inter majora imperii jura, juſ belli indicendi maxime etiam  
 refertur, Reinkin *de Reg. Sec. & Eccl. l. 2. cl. 3. c. 1. n. 8. Weß-*  
*ſemb. in ff. ad tit. d. LL. n. 3.* quare Privat. non eſt concedendum,  
 quod per Magiſtratum fieri debet *l. 176. de Reg. J.* Ideo Romani  
 pro latrocinio reputabant bellum, quod non eſſet publicâ autori-  
*Mora in bello neci-  
ſa.  
Cauſa Efficiens belli.*



tate susceptum aut indictum, l. 118. d. V. S. Et crimen læsæ Majestatis incurrit, quicumq; ex cæco & privato ausu arma moverit l. 3. ff. ad L. Jul. Majest. & tanquam Pacis publicæ turbator punitur, Andr. Gail. d. P. P. l. 1. c. 4. n. 5. Quare Romani ne dolo, clam, aut privato ausu viderentur pugnare vel etiam iniqua bella gerere, per Fecialem seu Heroldum insignibus Principis ornatum, Kirchn. d. leg. l. 1. c. 7. n. 24. Telum in Hostium fines jecerunt, & ita publicè illis bellum indixeront, ut ritus ille describitur à Livio l. 1. Et solennia insuper verba recenset eleganter, A. Gell. in Noct. Att. lib. 16. c. 4. unde, Cic. l. 1. de off. Nullum bellum justum esse dicit, nisi ante sit denunciatum & de tali denunciatione agit Virgil. l. 7. Aeneid.

Fecialis  
quis.

*Hoc & tum aeneadis indicere bella Latinus  
More jubebatur.*

Denunciatio non  
semper ne  
cessaria,

Ista autem belli indictio dicta fuit Clarigatio, Schonb. l. 6. pol. c. 10. Interim talis denunciatio 1. in bello Defensivo necessaria non est, cum ipsa naturalis ratio ibidem jus porrigat, Neq; etiam 2. si adversus Rebelles bellum suscipiatur; Nec 3. si adversus illos bellum suscipiatur, cum quibus ad certum tempus induciæ sunt pactæ, quo elapso etiam sine denunciatione arma arripiuntur Grot. l. 3. c. 3.

Causa belli  
impulsiva.

### Th. XI.

Nec tamen tantum sufficit, si bellum legitimâ autoritate sit susceptum, sed insuper etiam maximæ Causæ impulsivæ requiruntur, ut & hæc sint legitimæ; Quamobrem maximè laudantur Romani, quod semper studuerint, ut non nisi justa bella decreverint, quare etiam, felicissima illorum fuere bella, nam nisi justa Causa bellandi subsit, vix cum animi fortitudine arma moventur, inde eleganter Propertius l. 4. eleg. 6. canit,

*Frangit & attollit vires in milite Causa*

*Quamvis justa subest, excutit arma pudor*

Et Cicero l. 3. d. Rep. Illa bella injusta vocat, quæ sunt sine Causâ suscepta; Et hæc quamvis primo intuitu ex sententiâ succedant; tamen nihil certi habent. Nam quoad Causa justior est, ita etiam fortuna superior in bello divinitus dari solet. Franc. Patri. d. Reg. & R. Inst. l. 7. tit. 6. Hipp. à Coll. in Princ. c. 11.

Pleriq; autem tres justas belli causas afferunt 1. defensionem <sup>Tres belli</sup>  
 2. recuperationem 3. Punitiōnem. Quæ tamen Causæ <sup>causæ.</sup>  
 ex uno fonte videntur promanare nempe, ex Injuria: 1. DEFENSIO  
 tum Patriæ, tum Religionis, tum sui ipsius, tum etiam  
 confæderatorum, si oppressio sit injusta valde necessaria est <sup>Causa Belli</sup>  
 unde Alber. Genti. l. 1. d. Jure Belli c. 14. inquit: Bellum propter <sup>defensibi.</sup>  
 defensionem tanquam propter naturæ violatum jus, natura duce susci-  
 pitur; Et ideo nec ab officio hominis Christiani alienum, quippe <sup>Personæ ad</sup>  
 ad bellum tale quod legitimam habet defendendi causam, etiam <sup>bellum hæ-</sup>  
 inviti Cives nisi ætas aut alia legitima Causa eas excuset, cogi possunt, <sup>biles,</sup>  
 H. Grot. de Jure P. & B. l. 1. c. 5. Et in Veteri Testamento ne qui-  
 dem Clerici immunes erant; ita Levitæ bella gesserunt, ut Exod.  
 32. v. 26. Ita Elias trucidavit Baalenses, 1. Reg. 18. v. 40. Vide  
 etiam 1. Sam. 15. v. 32. Et de hac Causâ laudantur etiam Maccabæi,  
 quod fortiter & Patriam & Religionem defenderint, 1. Maccab. 2. Re-  
 gibus tamē & toti Reipublicæ salutare credo, ut in personâ, non nisi  
 summâ Necessitate exigente, ipsi Hosti obviâ procedant, Jun. Q. pol. <sup>Principes</sup>  
 p. 2. q. 25. Quo pertinet responsum Scipionis Africani dum <sup>regulariter</sup>  
 eum quidam sparum pugnacem dicebant: Imperator em me Mater <sup>non pro-</sup>  
 non Bellatorem peperit; vid. Bod. l. 5. R. Et hæcenus defensio quo- <sup>grediuntur</sup>  
 cunq; modo fiat omni jure licita unde Cicero l. 1. de off. qui non <sup>ad bellum,</sup>  
 defendit (inquit) nec obsistit si potest injuriæ, tam est in vitio, quam si  
 quis Parentes aut Patriam aut Amicos deserat, & Magistratus qui  
 Rempublicam non defendit tam acriter peccat, quam qui alienam  
 invadit 2. Recuperatio seu Repetitio illius quod vel vi nobis <sup>Causa belli</sup>  
 est ablatum, vel jure nobis debetur quare Seneca l. 3. d. benef. c. <sup>Recuperati-</sup>  
 14. æquissima Vox est & jus Gentium præ se ferens: Redde quod des- <sup>causa belli</sup>  
 bes. 3. Punitio dum accepta injuria bello vindicatur; non ta- <sup>li Punitiōe,</sup>  
 men quamlibet hic intelligo injuriam, sed illam demum, per quam  
 Societas Civilis & jus Gentium tollitur, qualis est: Legatorum  
 Violatio, cujus & in profanis & sacris scriptis exempla reperi-  
 untur 2. Sam. 10. Vel simile scelus cujus exemplam videre est Jud. 19.

### Th. XII.

Et quamvis Causæ belli justæ fuerint, attamen probè prius con- <sup>Abbatatus</sup>  
 sultan- <sup>Belli,</sup>

fulcrandum, ne cæco aut temerario impetu suscipiatur; Nam facile sese quis bello induere potest, explicare autem difficile, consilio enim tractanda sunt bella, *prov. 20. v. 18.* idcirco etiam media belli benè sunt ponderanda, & præcipuè Apparatus qui Ducem, pecunias, milites & arma complectitur. Tanti enim Fortitudo & scientia Rei militaris in imperatore aestimatur, quanti divitiæ atq; opes omnes, & ut rectè Pecunia belli nervus dicitur à Clapm. *de Arcan. Rerump. l. 4. c. 1.* Ita Imperatorem mentem ac Cor belli dicit. *Franc. Patr. d. Reg. & Regis Inst. l. 7. tit. 6.* Et antiqui Germani plus in duce quam in Exercitu reponebant, *Tac. de mor. Germ.* Et quemadmodum à prudente Duce, qualem optime describit *Franc. Patr. d. Inst. Reipb. l. 9. c. 2.* omnis ferè belli felicitas dependet, ira pecuniâ carere nullo modo potest quâ de re, *Hor. l. 3. Od. 16. Aurum per medios ire satellites, & perrumpere amat saxa, potentius ictu fulmineo.* Et adeo bellum non tam est in armis quam re monetaria, per quam faciliè utilia acquiruntur & milites comparantur; ubi autem pecunia deficit, periculosissimè bellum geritur; Nunquam enim miles datam fidem servabit aut etiam strenuum vel obsequentem sese magistratui præbebit, qui necessaria subministrare non potest. *Hippol. à Coll. de Princ. c. 12. Lips. l. 5. P. c. 6.* Vix quoq; disciplinam militarem attendet, qui jejunus simul cum naturâ & Hoste certare tenetur, *Reinh. Konig, diff. pol. 13. th. 79.* Ubi autem sumptus & expensæ sufficiunt, faciliè arma ac armamentarium paratur, milites idonei conscribuntur, ac exercitus validus colligitur. Non autem hoc necessum esse puto in bello ut milites niteant purpurâ; fulgeant auro ac opulentia; Ut aptiores videantur qui gynæcæo inserviant, quam qui ad certamina ducantur, ad quæ magis idonei illi existimantur qui apud *Curt. l. 3. à Charidemo* in Comparatione exercitus Alexandri M. ac Darii describuntur; Quod nempe *Macedonum acies sit torva & inculta, ubi vir viro, arma armis sint conferta, ad nutum moventis intenti sequi signa ac ordines servare dociles, quibus fatigatis humus cubile est, cibus quem occupant satiat, & apud Salust. in Jugurth. à Mario, qui possunt hiemem & æstatem juxta pati, humi requiescere, eodem tempore inopi-*

*Ducis res  
quisita.*

*Pecunia  
necessitas.*

*Militum  
qualitas.*

inopiam & laborem tolerare & ut generaliter dicam, *Milites præter arma nihil scire debent, l. ult. v. arma etenim, Cod. d. Jure delib.* Et officium tam Ducis quam militis latius describit, *Franc. Patrit. d. l. Lips. l. s. P. c. 12. & c. 15.*

### Th. XIII.

Nec tamen quicquam ad conservandam Rempublicam, ad tuendam potentiam & vitandam irruptionem Hostium efficacius quam Fœdera: Ubi quis non tantum propriis viribus, sed etiam confœderatorum auxiliis fretus, faciliori labore hostium iniquitates deterrere ac repellere potest: *Hippol. à Collib. in Princ. c. 18. in fin.* Non autem hic intelligo fœdera e commerciorum, utpote quæ tantum propter commercia ultrè citroq; sanciantur, quale inter urbes Borussiae refertur Thoronium & Dantiscum, dicente, *Reinh. Kon. disp. 1. th. 25.* Sed potius Defensionis quo diversi Magistratus superiorem non recognoscentes se invicem obligant ad colendam amicitiam, præstandam fidem & auxilia mutua adversus hostes quos habent communes ferenda, *Brautlach. in Inst. Jur. Pub. l. 8. c. 1.* Quo etiam illa refero fœdera, quæ à Politicis dicuntur Mixta, & partim commerciorum liberum exercitium, partim etiam Defensionis mutua auxilia concernunt, quo refertur fœdus inter Civitates Anseaticas pactum, cujus Origo vix certa est: quod à *Carolo IV.* fuit confirmatum, *Kranz. in Vandaliâ l. 9. c. 7.* Et dicitur invictissimo Imperatori *Carolo V.* terribile extitisse; Dubium tamen non est quin fuerit licitum cum in Recessibus Imperii partim sit approbatum, *vide R. I. de Anno 1542. S. demnach / de Anno 1548. S. 2. vnd als erstlich / de Anno 1574. S. des gleichen die freye Ritterschafft Matth. Steph. d. Jurisd. l. 2. p. 2. c. 4.* Fœdera autem propriè illi pangunt, qui habent jura Majestatis & superiorem non agnoscunt, cum fœderis pangendi potestas summi Imperii sit axioma; Materia tamen circa quam fœdera panguntur, debet esse licita & honesta, in hunc maxime finem, ut religio in Deum pura & salus Reipublicæ incorrupta conservetur, & talia fœdera omni jure esse licita, nullus dubito; Cum ipsa natura humana sunt licita,

*Fœdera pe-  
riculosa*

humana Societates, ac inde promanantia mutua auxilia requirere videatur; ubi tamen cautè modus pangendi fœderis observandus. Quemadmodum etenim per fœdera sæpe invalida regna ad summum imperii fastigium crescunt, ita sæpe per eadem penitus devastantur. Sæpius enim præsertim si potens impotenti jungatur Leonina solet oriri Societas, Junius Q. pol. 74. Ita etiam cum impiis ac infidelibus, ne inde occasio mutandæ religionis præbeatur, maximo cum periculo fœdera contrahuntur: Quare probè ratio Religionis, potentiæ, vicinitatis, morum & humorum attendenda, Konig. d. l. & ut generaliter dixerò, qui cum alio contrahit est, vel esse debet, non ignarus ejus conditionis cum quo contrahit, l. 16. d. R. 7.

#### Th. XIV.

*Legum ne-  
cessitas &  
firmitas*

Alterum fundamentum Rerumpublicarum generale, sunt BONAE LEGES; Quippe quæ sunt nervi & vincula totius Republicæ & totius Civilis Societatis firmamenta. Ex observatione enim legum, à Magistratu æquissimè præscriptarum, omnis salus ac tranquillitas Populi dependet. Nam impossibile quid est, ut actiones humanæ quæ naturâ sunt corruptæ secundum rectæ rationis consonantiam determinantur, nisi norma aliqua ipsis sit. proposita, quæ sit justis atq; injustis Regula, l. 2. ff. d. LL. Secundum quam mores honestæ regantur. Et nemo sane suum tenere, nemo vitam, famam aut ullam Dignitatem sartam tectam retinere possit, nisi legum ac Juris adminiculo nitatur; Et nemo rite poterit Magistratus officio fungi, nisi imperium suum Legibus conformaverit: Sæpe etenim alias Magistratus contra Jus & Justitiam vel imperitiâ, vel favore, vel odio pronuntiarent, nisi ductum Legum, quæ divinæ rationis sunt particule, sequantur.

*Leges Ma-  
gistratui  
præsunt*

Ut ut enim sint aut esse debeant in omni Republicâ Magistratus, attamen primarium locum præsidendi, regendi, aut decidendi leges tenere debent, quas constat potius ad Civium utilitatem, quam Magistratus arbitrium esse latas, Ferd. Vasq. ill. Contr. l. 2. c. 1. n. 15. & seqq. Inde Cicero l. 3. d. LL. Ut Magistratui LL. ita populo præsumt Magistratus, vereq; dici potest, Magistratum legem esse loquentem, legem autem mutum Magistratum. Nam ut Cicero docet,

docet, verum est; nulla alia de causâ leges esse latas, nisi ut Cives incolumes seruentur, cum sine legibus nec Respublica nec ullus Populus, aut ulla Societas persistere firma ac tuta potest Arist. l. 4. pol. c. 4. Quare rectissime leges inventum & munus Dei dicuntur l. 2. ff. & L. L. cum illis sublatis, Respublicæ nihil aliud sint, quam summa Latrocinia; Leges autem contra sunt fundamentum & sustentaculum omnis honestatis & columnæ Rerumpublicarum, Novel. Leon. 36. Revers. Imp. de Anno 1500. pr. ibi auff denen als grundfeste aller Reiche vnd Gewaltrubhen. Reink. de Regim. S. & E. l. 2. cl. 2. c. 1.

**Thesis XV.**

Lex autem quatenus hæc vox generaliter sumitur est præceptum tum Dei, tum Rationis tum illius penes quem est summa potestas in bonum publicum promulgatum, obligans ad id quod rectum est. Genus est præceptum, quod ex ipsâ Legis naturâ desumptum est, lex enim vim cogentem habere debet, Arist. l. 10. Eth. c. 10. Unde non malè à ligando quibusdam lex dicitur, legis enim virtus est, imperare, vetare, permittere & punire, l. 7. ff. l. 8. C. d. L. L. c. 4. dist. 3. Dicitur porro, vel Dei vel Rationis &c. à Causâ nempe efficiente & quidem, prius, quatenus Deus se & suam voluntatem nobis patefecit in S. Scriptura, alterum, quatenus Deus quædam quæ facienda sint in primæva statim creatione hominum mentibus inscripsit, Rom. c. 1. v. 19. c. 2. 15. posteriorius, propter legem positivam quippe quæ ab illo provenire debet, penes quem est summa Potestas, cum leges ferre sit summi imperiî & proprium ejus qui in Republica principem locum obtinet, Clapm. de Arc. Rerump. l. 1. c. 13. idè in Monarchia Princeps, in Aristocratia Optimates, in Democratia universus Populus, hac potestate utuntur. Dicitur deniq; in bonum publicum promulgatum, in quo distinguitur lex à Consuetudine, quæ quidem etiam si rationabilis sit & legitime introducta legis vim habet, attamen non publica promulgatione, sed tantum tacito Populi consensu dicitur Legem imitari, §. 9. Inst. de Jure N. G. & C. Lex verò contra nisi promulgetur ut innotescat obligare nequit, quare ejus essentialis

*Legis definitio.*

*Deus & Ratio efficiunt legem.*

*Persona legem promulgans.*

tiale

tiale requisitum constituit ipsa promulgatio. Et talis promulgatio, quemadmodum olim Romæ facta sit, notat Joh. Rosin. *Antiq.*

*Scriptura non est de essentia Legis.* Rom. 1. 8. c. 2. Absit tamen longissime, ut hoc dixerō, etiam scripturam necessariō denotari per promulgationem, cum eadem plane de essentia legis non sit, & alias sequeretur Lacedæmones nunquam leges habuisse, cum apud ipsos lege cautum fuerit, ne in scripturam redigerentur, Plutarch. *in Vit. Lycur. & S. 10. Inst. d. J. N. G. & C.* nihil itaq; interest an scripto leges publicentur an verō per Præconem innotescant, vel quocunq; alio modo, modō publicē sint receptæ, nam nulla Essentia accedit ad id cujus est Essentia, quare ad junctum aliquod legis ejusdem essentiam nunquam ingreditur. c. 1. de Renunc. in 6. Horn. l. 4. phil. mor. c. 3. n. 7. Domin. Arum. exerc. 1. Q. 16.

### Th. XVI

*Legis divisio.* Quid sit Lex, jam ostendimus: Reliquum est ut etiam ratione ordinis videamus quotuplex sit lex, Rectissime enim potest constitui duplex divisionis membrum, ut nempe Lex omnis sit vel Divina vel Humana. Divina est quæ Autorem Deum habet, quatenus nempe eam vel speciali patefactione promulgavit, quo pertinet in V. Test. Decalogus, & omnes Leges à Deo vel mediātē vel immediātē præscriptæ, quæ quia ad Scholam Theologicam pertinent, ego de illis taceo quarum distinctionem Conrad. Diet. *Inst. Catceh. d. Dec. f. Lege p. m. 65.* accurate posuit. Humana quæ potissimum nostrum propositum concernit, est vel nobiscum Nata vel Orta. Illa quæ alias dicitur lex naturæ seu *Naturalis.* Gentium, rectē etiam quodammodo divina dicitur, quatenus nempe Deus eandem omnium mentibus immediātē inscripsit, Rom. 1. v. 3. ut ex ipsa naturali ratione sine ratiocinatione dependeat. Ut enim natura rationalis apud omnes homines est eadem, ita etiam illud quod naturalis ratio bonum dicitur, omnes tanquam præceptum in Conscientia obligat, qualia sunt, Deum colere, Parentes revereri, nemini nocere, & generaliter, quæ sine piaculo omittinon posse videntur: Et quamvis quidam homines spreto rectæ rationis dictamine illa præcepta communia violent,

violenti, attamen dubium non est, quin ipsa Conscientia eosdem doceat rectæ rationi tales actiones nequaquam convenire, & ideo eatenus leges naturæ non minus desinunt esse tales quam mella dulcia, quamvis corrupto sensui amara videantur; Idcirco hæc leges rectissimè dicuntur immutabiles, non quidem ratione huius vel illius subjecti, sed potius in se consideratæ, quatenus nempe nunquam desinunt esse rectæ, H. Grotius l. 1. d. J. P. & B. c. 1. n. 10. Hornei. l. 4. phil. mor. c. 3 n. 29. Wesem, in ff. d. J. & J. num. 15.

### Th. XVII.

Lex Orta seu Humana specialiter ita dicta sequitur, quæ non adeo ex instinctu naturali provenit, sed pro utilitate & necessitate exigente cum ratiocinatione producitur, atq; ita non ex notitiâ simplici sed compositâ oritur, Wesenb. d. l. v. aliud porro Jus. & n. 16. Et hæc leges ad oportunitates Societatis humanæ parandas retinendasq; introducuntur: itaq; opponuntur legibus naturæ, quatenus non apud omnes Gentes strictissimè observantur, sed plane ad rationem status conformantur. Ideoq; constituuntur ut statum Reipublicæ conservent. Maximè tamen necesse est, ut à principiis juris naturæ & rectæ rationis nullatenus aberrerent; recta enim Ratio forma legis est, & ubi in Jure Civili lex deficit, ratio naturalis quæ legis vim obtinet allegari potest, L. scire oportet, §. sufficere ff. d. Excus. Adeoq; si lex ratione non fuerit informata nomen legis non meretur nec obligat, Arg. L. 39. ff. d. LL. Omnis enim Lex debet esse, honesta, justa, possibilis, secundum naturam, Patriæ consuetudinem, loco & tempori conveniens, proq; communi Civium utilitate conscripta, ut elegantissime dicitur in c. Erit autem, dist. 4. Hoc enim Legislator maximè studere debet, ut leges conformes ponat conditionibus hominum & statui Reipublicæ, quippe cum salus Reipublicæ suprema lex sit. Quare leges accommodatæ debent esse ad Rempublicam non autem Respublica ad leges: Summusq; Legum finis esse debet Beatitudo politica, eamq; semper legislator intueri debet, ut ita legem ponat, quæ sit, Regula justitiæ & norma æquitatis, Reinh. König, disp. pol. 7. th. 29. Ne instar cerei nasi secundum arbitrium iudicis Jura transformetur, ubi enim

Lex Orta  
seu Humana

Ratio est  
anima legis

Leges accommodantur  
Reipublicæ



enim Lex dominatur nec odio, nec favore, nec gratiâ Judex seduci potest ut *περὸν ἀληθείαν* in judicando attendat, ideo concludo legem Magistratui in benè constitutâ Republicâ præesse debere, non autem Magistratum legi, cum Franc. Patrit. *de Rep. l. 1. c. 5. Casp. Contaren. de Rep. Vener. l. 1. Hænon. disp. pol. 1. th. 10.*

### Thesis XVIII.

*Lex Fundamentalis.* Lex Orta, alia est Fundamentalis alia Non Fundamentalis. Fundamentalis est quæ modum imperandi imperantibus præscribit, germ. *Majestât Briefe Becker in Synop. J. P. l. 4. c. 3. n. 3.* quod iis ipsa Reipublicæ fundamenta contineantur, quæ futuro Imperatori conditiones utiliter Rempublicam imperandi præscribunt, *Reink. d. Reg. S. & Eccl. l. 2. cl. 2. c. 6.* Nullum enim hodiè ferè datur regnum ad eò absolutum, in quo Principis potestas certis legum cancellis non includatur & harum legum etiã mentio fit in Sacris, 2. *Samuel. 3. v. 21. & c. 5. v. 3. 2. Reg. 11. v. 4. 2. Paral. 23. v. 3. 1. Sam. 11. v. 1.* Et hac ratione fatendum quidem arctius quoddammodo reddi Imperantis exercitium; attamen imperium tale summum esse non desinit ut falsò putat *Bod. l. 2. d. Rep. c. 6.* Quamvis imperator quædam promiserit ad imperii rationem pertinentia *H. Grot. l. 1. c. 3. n. 12.* modo tamen jura Majestatis hoc modo non planè restringantur, vel absolutum illorum exercitium statibus communicetur, ne ita forma Reipublicæ immutetur, ut Monarchia in Aristocratiam inclinaret; Tales leges fundamentales pro diversitate Rerum publicarum diversæ sunt: In Gallia *Lex Salica,* est Lex Salica quæ mulieres à successione prohibet, in Germania Aurea Bulla à Carolo IV. promulgata; Capitulationes Imperatorum, quas vi Juramenti Romanorum Reges ab Electoribus suscipere tenentur, quo etiã refertur Pax Religionis seu Pacificatio Passaviensis à Carolo V. Anno 1555. promulgata. Non, fundamentales sunt quæ imperium ratione obtemperantium concernunt & sunt vel Generales vel Speciales. Illæ sunt quæ in toto aliquo imperio continentur, quales in nostro sunt Recessus Imperii & Leges Corpori juris insertæ, quæ ad universos subditos se extendunt, tales Leges hodiè Imperator Rama-

Romano-Germanicus in Comitii consensu Electorum promul-  
gat, §. 2. Capitul. August. Imper. Ferdin. III. Speciales *Lex Spe-*  
verò sunt rursus duplices Provinciales & Privilegia: Pro- *cialis.*  
vinciales seu statuta sunt *jura particularia à Statibus Imperij aliisq;*  
*Magistratibus in suis territoriis sancita, Brautl. in Ep. J.P. l.7.c.4.n.2.*  
quæ tamen ut effectum sortiantur in supremis Judiciis oportet utiq;  
ut imperatoris confirmatio eas roboret, *Rec. Imp. d. Ann. 1529. tit.*  
*Kaiserliche Constitution vnd Satz wie Brüder &c. Wel. in*  
*d. leg. num. 3.*

### Th. XIX.

Inter has leges particulares non immeritò etiam referuntur,  
Privilegia, quod ipsius nominis derivatio videtur indicare, *Privileg-*  
siquidem Privilegium nihil aliud est, quam lex de privo Homine *gium,*  
lata, nam priva idem fuit quam singula, A. Gell. *Noct. att. l.10.c.29.*  
Sumitur autem privilegii. vox sæpè tam latè, ut non tantum com-  
modum hominis, sed etiam sæpè irrogationem pænæ denotet,  
uti hac voce Cicero utitur *pro domo sua*. Nos misrà hac significa-  
tione, definimus privilegia: Jura particularia ob aliquam  
æquitatis rationem ab illo qui legis ferendæ pote-  
statem habet, contra jus commune, indulta. Rectè di-  
citur in definitione quod privilegia non possint concedi, nisi ab  
illo qui habet potestatem legum ferendarum vel cui hæc ab illo est  
concessa, siquidem Oppositorum est eadem ratio, & quemad-  
modum leges ferre est jus Majestatis, ita quoq; easdem vel abrogare  
vel derogare, vel etiam relaxare seu dispensare; Quippe cum illa  
dispensatio sit contra jus commune: Quod tamen non ita intelle-  
ctum volo, quasi Princeps vel is qui Majestate pollet, contra jus  
naturale aut gentium, i. e. contra æquitatem naturalem aliquid  
disponere possit, aut etiam tertio nocere aut jus quæsitum eidem  
auferre, Reink. *de Regim. S. & E. l. 2. cl. 2. c. 10.* Brautl. *d. J.*  
*Publ. l. 5. c. 5.* Cum non minus privilegium, quam etiam lex debet  
esse rationabile. Principi quidem concedimus summam potesta-  
tem administrandi Imperium; eandem autem non adeò absolu-  
tam, ut sine luadente necessitate jus quæsitum tertio auferre vel  
minuere

minuere possit, ideoq; nec alteri privilegia concedere, quæ tertio  
sint damnosa; Quippe cum Princeps æquitatis censetur esse asy-  
lum, ergò etiam non præsumitur velle aliud concedere, quam quod  
rectæ rationi & æquitati sit conveniens. Insuper etiam privilegia  
non sunt semper & cuiq; concedenda, utpote, quæ non minimè  
videntur facultates Principis defatigare, vel etiam proximo majus  
onus imponere. Privilegia autem hæc sunt duplicia: alia Realia,  
alia Personalia; Realia quædam sunt quæ certis ordinibus  
conceduntur, & ita ad quos vis Successores transeunt; Tale est pri-  
vilegium Studiosorum ab Imperatore Friderico iis concessum  
*Auth. habita C. ne fil. pro patr.* quod ut interpretatione est longissi-  
mum, ita observatione valdè minutum. Eò etiam referuntur pri-  
vilegia mulierum, militum, nobilium, minorum &c. Quædam  
sunt, Realia quæ non quidem certo ordini, sed uni rei specialiter  
sunt concessa, quæ etiam ad Successores transeunt, qualia sunt  
privilegia certæ Societati aut familiæ concessa, quæ reperiuntur in  
multis imperii Principibus ac Civitatibus, non tamen omnibus;  
Alia sunt Personalia, quæ certam personam concernunt, & cum  
eadem expirant, nec in exemplum trahenda *S. 6. Inst. d. J. N. G. & C.  
l. 68. d. R. J.* Privilegia autem revocantur, si quis magnum commi-  
serit delictum, quo se indignum reddit illo præmio; vel etiam si suc-  
cessor illa non velit esse rata; vel deniq; maximum Reipb. dam-  
num contineant.

*Privilegia  
duplicia  
Realia*

*Personalia*

### Th. XX;


A recensitis hisce Legum diversis speciebus longè differt  
Consuetudo, quæ legis quidem vim habet, non tamen publicâ  
superioris autoritate promulgatur, sed tantum tacito populi con-  
sensu, per diuturnam observantiam introducitur. Consuetudinis  
autem vox valdè ambigue sumitur, & 1. quidem pro assuetudine  
sive illa sit, hominis, sive bruti animantis, sive bona sit, sive mala.  
2. sumitur pro naturâ & affectu diversarum Gentium, ut Barla:  
*in lib. d. Icon. anim.* variarum gentium inclinationes persequi-  
tur 3. sumitur pro jure ex iteratis hominum actibus introducta, quæ  
significatio mei est instituti, & definitur: Jus quod inveteratus  
rationabilis Populi usus tacito Magistratus consensu  
com-

*Consuetu-  
dinis desic-  
nitio.*

comprobat, dicitur jus quia tanta ejus vis est, ut legem non tantum  
mitigare, verum etiam plane tollere possit; Lex enim pro non scripta  
habetur, quam contrarius usus abrogat. Necessario tamen Principis  
tacitus consensus ad introducendam consuetudinem requiritur; Le-  
ges autem quas Lycurgus Lacedæmoniis, discendas promul-  
gavit, absit ut dixero esse consuetudines, propter publicam promul-  
gationem, quæ leges à Consuetudinibus discernit. Ut autem con-  
suetudo sit, rationalitas ejus pro formâ requiritur, siquidem obje-  
ctum ejus tale esse debet, quod honestati & æquitati planè sit conve-  
niens; Quæ autem consuetudines sint rationabiles, aut irrationabiles  
prudensum judicio relinquo dijudicandum, præsertim cum valdè peri-  
culosum sit, Principis cujusdam ne dicam totius Gentis mores usitatos  
velle publice condemnare. Omnis enim talis actus tam diu præsumi-  
tur rationalis, donec manifestè contrarium probetur; Politicè autem  
ille actus dicitur rationalis qui bono publico inservit, Reink. *d. Re-  
gim. S. & E. l. 2. cl. 2. c. 9. n. 8.* Alioquin si sine ratione esset consuetudo, &  
non tam jus quam corruptela juris diceretur, *c. 3. dist. 8.* Si autem ra-  
tionabilis sit legis vim habet, & eam vincit A. Gell. *l. 11. noct. att. c. 18.*  
Ita plus apud veteres Romanos valere boni mores, quam alibi bonæ  
leges, Tacit. *d. mor. Germ. c. 19. in fine.*

*Rationabi-  
lis Consue-  
tudo sit.*

Cum quo incæpi finio.



Sic est, non omnes studio oblectamur eodem,  
Nec palma ex quavis quivis sibi sperat hono-  
rem;

Sunt qui curriculo certant, lætiq; triumphant,  
Dum spumantis equi fodiunt calcaribus armos,  
Ut primi tangant metam, atq; brabæa refigant.  
Multos caltra juvant, sonitus lituiq; tubæq;

D

Queis

Quis ducibus sese esse duces sibi credere gau-  
dent.

Quid tibi quid volupe est, Scutzi, charissime  
amico

Castra sequi! & bellis ævi consumere florem!

Est furor armisonis caput objectare procellis,

Per structas grassari acies, per tela per ignes,

Incertumq; decus certis captare periculis,

Recti igitur Phœbi sequeris (non Martia) castra,

Unde reportatur sine cæde & sanguine Fama,

Innumeris potior Doctrinæ Fama trophæis.

Perge bonis avibus, felici sydere perge,

Sic tua non duro decurret limite vita,

„ Non glaciem Arctoam, non experiere furentis

„ Ardorem Cancri, nec mensas sæpe cruento,

„ Gramine compositas, aberunt sitis aspera &  
haustus

„ Sub galea pulvis, partiq; timore labores

„ Sed current albusq; dies horæq; serenæ,

„ Et molli dabitur victu sperare senectam;

O bene quod Phœbi non Martis castra sequaris,

Noster amor Scuzi, rosei Rosa pulchra Lycey,

Maeste animis, alacer stratam descende in are-  
nam,

Et quonam gemino bene stet Respublica talo,

Nescia turbarum, tacitæ securaruinæ,

Felici auspicio promptis ediffere verbis,

(Non

(Non secus ac thesibus potuisti talia scriptis,)  
Multum in sermone est, dare vultum & pondere  
dictis.

*Summa benevolentia causa Domino commensali scripsit*  
Joachimus Stockman, Med. D.  
& Profefs. Reip. Rost. patriæ Physicus.

---

**R**em Populi tractas, SCHÜTZI, quam summus  
Jöva

Et Natura sagax ponunt; conservat at Ordo,

Religio, Virtus, Leges & Bella Jehovæ!

Hanc Populi tractas Rem, quam contemnere bruta

Censor Aristoteles dicit, similesq; ferarum.

Perge bonis avibus; Populi Rem, disce tueri,

Ex te nã sperat post hanc Respublica multum

Præsidiij, sperat magnum Patria ornamentum!

Honoris & gratul.

L. M. Q. f.

M. C. Arndius, P.

---

**N**on minor ars justas Regnorum quærere causas,  
Quam labor est *Arma*, & *Leges*, defendere juxta;

Hoc tua conatur *SCHÜTZI* solertia utrumq;

Ingenij specimen doctè dum prodis & offers;

Gratulor & voveo cæptum feliciter urge,

Ut tandem meritis Respublica præmia donet.

*Commensali suo suaviss. singulari affectu scripsit*

Heinrich Rudolph Kedefer.

Qui procul infandis facibus, rabidoq; tumultu  
Innocuâ, belli, mente remotus agit:  
Et Mavortis opus, scelerataq; devovet arma,  
Spicula ubi hybernâ grandine plura volant.  
Torquet avaritia nec servo verbere curas,  
Nec Tituli quarit per fera Facta decus.  
Pacali sed enim Pindo tentoria figit.  
Et flagrat Aonias exsuperare Deas.  
Ille mihi visus superas aquantia mentes  
Pectora mortali ferre reposta sinu.  
Qui sine lite probus, SCHÜZI, sine felle modestus,  
Qui Themidis sacras quaris anhelus opes.  
Dum leges, atq; arma doces, non uteris armis,  
Sed cupis ad patriâ velificare decus.  
Perge alacris, felixq; in tanto tramite perge,  
Sic charus patriâ, & nomine clarus eris.

SCHUZIO meo de REP.  
disputanti ita gratulor

Henrich à Daldorff,

Eq: Sax:










comprobat, dicitur jus quia tanta ejus  
mitigare, verum etiam plane tollere possit  
habetur, quam contrarius usus abrogat.  
tacitus consensus ad introducendam con-  
ges autem quas Lycurgus Lacedæ-  
gavit, absit ut dixerō esse consuetudines,  
gationem, quæ leges à Consuetudinibus  
suetudo sit, rationalitas ejus pro formâ  
ctum ejus tale esse debet, quod honestati  
niens; Quæ autem consuetudines sint rati-  
prudentum judicio relinquo dijudicandum  
culosum sit, Principis cujusdam ne dicam  
velle publice condemnare. Omnis enim  
tur rationalis, donec manifestè contrarius  
ille actus dicitur rationalis qui bono publi-  
gim. S. & E. l. 2. cl. 2. c. 9. n. 8. Alioquin si sine  
non tam jus quam corruptela juris diceretur  
tionabilis sit legis vim habet, & eam vincit.  
Ita plus apud veteres Romanos valere bo-  
leges, Tacit. d. mor. Germ. c. 19. in fine.

Cum quo incæpi



Sic est, non omnes studio ob  
Nec palma ex quavis quivi  
rem;

Sunt qui curriculo certant,  
Dum spumantis equi fodiunt  
Ut primi tangant metam, atq;  
Multos caltra juvant, sonit

D

non tam  
non scripta  
en Principis  
quiritur; Le-  
das promul-  
am promul-  
autem con-  
videm obje-  
ne sit conve-  
rrationabiles  
n valdè peri-  
ores usitatos  
tu præsumi-  
liticè autem  
eink. d. Re-  
nsuetudo, &  
Si autem ra-  
noct. att. c. 18.  
alibi bonæ

*Rationabilis  
Coasbes  
tudo sit*

eodem,  
at hono-  
phant,  
armos,  
igant.  
ubæq;  
Queis

